



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epitome I. Alvarez De Paz In omnes libros De Vita Spirituali Eiusque Perfectione

Álvarez de Paz, Jacobo

Antverpiæ, 1620

Perfectionem non alijs quam Dei amicißimis esse concessam & maxima  
gloria Deum afficere. caput. 30.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49057](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49057)

gnam sanctitatem extollit. Ita est Domine,  
 tuam opus est sanctitas: hoc est enim opus *Ioan. 6.*  
 tuum, ut credamus, & sequamur & imitemur  
 eum quem tu misisti. Tu iustos facis, tu san-  
 ctos efficis, tu à peccatis liberas, & in liberta-  
 tem vere virtutis deducis, nec enim in gladio  
 suo possederunt terrā, & brachiū eorum non  
 saluabit eos, sed dextera tua, & brachium *Psal. 43.*  
 tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam  
 complacuisti in eis.

## CAPVT XXX.

*Perfectionem non alijs quam Dei ami-  
 cissimis esse concessam, & maxima  
 gloria Deum aspicere.*

Qvam magnum sit hoc opus Dei quod  
 animæ perfectio dicitur, ex superiori-  
 bus satis colligitur. Sed eius nobilitas ex alia  
 quoque ratione claret, ex his scilicet, quibus  
 Dominus perfectionē concedit, & cumulum  
 omnium virtutum sub ea cōtentatum impertit. Hoc  
 enim perfectionis donū, non quibuscūq; sed  
 animabus dilectissimis, & Deo amicissimis  
 reseruatū est, à cuius participatione non so-  
 lum non amici, verumetiam qui non sunt  
 intimi & familiarissimi Dei amici, sine vlla  
 nota iniustitiæ aut rigoris arcentur. Mundū  
 hunc visibilem mirabili ratione compositū  
 &

& incóparabili pulchritudine decoratú, Do-  
 minus cunētis hominibus in cōmuni propo-  
 sivit, &c. Gregorius nobis ad despectum bo-  
 norū temporalium inuitat, dicens: Quam eni-  
 sunt despicienda, iustus cōsiderat quæ Deo  
 omnipotens etiam peruersis præstat. Si eni-  
 principaliter magna essent, nequaquam con-  
 tort hæc aduersarijs suis tribueret. Vnde  
 indignum sibi esse perpendit, vt illa bona  
 petat, quæ abundare conspicit & malis  
 ad percipienda cælestia mentem suã dirigat.  
 quæ sibi cum reprobis communia esse non  
 possunt. Bona ista mūdana valde exilia sunt,  
 quæ talibus dantur, & malis ac Dei hostibus  
 qui in diem perditionis seruantur, & in die  
 furoris ducentur ait sanctus Iob, sine  
 mensura promittuntur. Beatus David  
 Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sa-  
 culo, quibus scilicet prosperè sæcularia  
 uersa succedunt, obtinuerunt diuitias.

Iob. 21.

Psal. 72.

Habet tamen Deus alia bona his sine cō-  
 paratione potiora, quæ non hostibus, non  
 mancipijs vilissimis, sed solis seruis fidelibus  
 & amicis sibi prædilectis concedit. Hæc car-  
 tem sunt, gratia, quæ homines Deo feros red-  
 dit, & consortes diuinitatis efficit, charitas,  
 quæ amicos Dei facit, & sanctos: humilitas,  
 quæ oculos aperit, vt quisque se videat, & non  
 super capita aliorum, sed in loco sibi congruo  
 & accōmodato constituat: puritas, qua carna-

spure  
 sterco  
 obed  
 iiciat  
 chor  
 bonu  
 bona  
 diuiti  
 homi  
 num.  
 inter  
 diuit  
 & res  
 culi,  
 gratia  
 dunt.  
 mo, s  
 per fa  
 ues e  
 est di  
 Deo  
 est D  
 mus,  
 rior  
 suas  
 celo  
 dera  
 culta  
 bon  
 mici

spurcitas fugiat: paupertas, quæ curas luti &  
 stercoreis, id est bonorum visibilium deserat,  
 obedientia, qua propter Deū homini se sub-  
 jiciat, & (vt vno verbo dicā) omnium virtutū  
 chorus quæ animam ornāt, & ad omne opus  
 bonum instructam efficiunt. Hæc sunt vera  
 bona quæ hominem faciunt bonum. Nam  
 diuitiæ sunt bonæ (inquit Augustinus) vnde  
 homo faciat bene, non quæ ipsum faciāt bo-  
 num. Hæc sunt bona vtilia, quibus quisque  
 inter bona quæ possidet, redditur bonus. Si  
 diuites huius sæculi sunt, qui aurē, & argentū,  
 & res tēporales possident, diuites alterius sæ-  
 culi, quod nunquam finem habebit, sunt, qui  
 gratiā & charitatē, & reliquas virtutes recō-  
 dant. Vnde Ambrosius rectē ait: nescis o ho-  
 mo, struere diuitias. Si vis diues esse, esto pau-  
 per sæculo, vt sis diues Deo. Diues fidei, di-  
 ues est Deo. Qui diues est in misericordia, hic  
 est diues in Deo. Diues in simplicitate, diues  
 Deo est. Diues sapientiæ & scientiæ, diues  
 est Deo. Ille verè diues est, inquit Chryso-  
 stomus, qui in Deo diues est, qui magis mise-  
 ricordia opulentus, quam diuitijs, facultates  
 suas cum pauperibus diuidit. Qui diuitias  
 celo magis quā mundo cōmendat, qui desē-  
 derat potior esse opere, quā suæ substātæ fa-  
 cultate &c. Hæ itaq; virtutū diuitiæ, hæc vera  
 bona nō omnibus hominibus sed solis Dei a-  
 micis seruata sunt. Ista bona dātur amicis Dei,  
 illis

*Aug.*  
*Serm.*  
 236. de  
 tempor.

*Ambros.*  
*lib. de*  
*Nabuc.*  
 cap. 14.

*Chryst.*  
*Hom. de*  
*miseriis*

*Greg.  
Ivan. 20.  
in euang.*

illis videlicet, quos Deus per gratiam sui  
miles facit, per charitatem in suam amicitiam  
& familiaritatem insinuat & per dona  
tiosa virtutum in vitæ cælestis atq; Angelicæ  
imitationem extollit. Ideo inquit Gregorius  
quod pauci sunt, qui dona spiritualia per  
cipiunt, & multi qui rebus temporalibus adhaerent  
dant. Sunt verò, qui tanta aviditate diuinam  
Scripturam audiunt vel legunt, vt pronas  
cunctis terrenis operibus abdicatis, sola cæles-  
tia ambiant, & omnia transitoria abiciunt  
solummodo Christum sequi, & amplius  
concupiscant. Eius desiderio se affligunt  
iunijs, afficiunt lacrymis, exercent medita-  
tionibus diuinis, sola quæ sunt æterna cogi-  
tant, contemplationibus vacant, ad hoc laborantes,  
vt ea, quæ retro sunt, obliuiscen-  
tes, in anteriora magis ac magis se extendant.  
Quid profectò isti, quid aliud agunt, nisi liben-  
tes inebriantur, vt dum omnium retro-  
rum per desiderium obliuiscuntur, iure  
sponso cælesti non tantum amici, sed & cari-  
ssimi vocari mereantur? Etenim Dominus  
dilexit populos, omnes sancti in manu illius  
sunt, & qui appropinquât pedibus eius, acci-  
pient de doctrina illius. Ecce populos, ecce  
sanctos ecce appropinquâtes pedibus domi-  
ni, & in his diuersas hominû sortes intellige.  
Populi sunt, qui Domino potestatis iure sub-  
duntur, quos etiam diligit, & legem ac iura  
profert

*Dent.  
33.*

profert in dilectionis indicium. Sancti sunt amici, & iusti qui, manu Domini, id est, protectione eius specialius defenduntur. Appropinquantes pedibus Domini, sunt perfecti seu amicissimi, qui è vicino vestigia Christi sequuntur, vitæ puritatem imitantur, & doctrina eius imbuuntur. Istitis solis gemma sanctitatis datur, margarita summæ virtutis tribuitur, & thesaurus perfectionis tamquam res immensæ dignitatis conceditur. Istitis perfectio datur, non quia amicissimi Dei erant, sed vt amicissimi Dei sint. Est igitur perfectio paucorum, illorum scilicet, qui seiplos strenuè abnegantes, & omnia mundana protegentes, Deum solum quærunt, & eius intimam amicitiam suspirant.

Hoc Dei opus magnū & excelsum, quod ipse in suis amicissimis operatur, adeo suum auctorem glorificat, vt nihil sit in Ecclesia, quod equè, atque illud, Dei sapientiam, potentiam ac bonitatem ostendat. Nam si opus, quo magnificentius est, eo melius artificis peritiam & sapientiam declarat, quid aptius Dei sapientiam declarabit, quàm illud opus in quo non tatum vestigium Dei patet, non naturalis imago lucet, sed supernaturalis figura, eaque pulcherrima diuinæ sanctitatis & puritatis apparet? Si victoria, quo maior & difficilior est, eo efficacius ducis fortitudinem & strenuitatem patefacit, quid effi-

efficacius Dei potentiam patefaciet, quam illa perfecta victoria, qua mundum, diabolum & carnem in nobis vincit, ex terrenis caelestes efficit, & peccatorem non in communem iustum solum, verum in virum quoque sanctum & perfectum transformat. Sed donum quo pretiosius est, eo praestantioris bonitatem & liberalitatem commo- strat, quid praestantius diuinam bonitatem monstrabit, quam illud donum, quo Deus spiritum sanctum suum infundit in nobis, & cum eo vniuersa virtutum dona communit. Valde quidem Deum glorificat huius admirabilis mundi creatio, qua ex nihilo vniuersa fabricata: caeli vno seiplos tenore ceteros, & sol, & luna, & astra splendore decorata, & nostram regionem illuminantia, & elementa contraria, tanta concordia & pace coniuncta &c. nimis suum auctorem collaudant, eiusque infinitam perfectionem magnificant: at sine vlla comparatione melius & efficacius vnius viri perfecti sanctitatem diuinam virtutem effert, & conditoris nostri mirabiles perfectiones attollit. Illa enim omnia naturalia Dei vestigia sunt, quae tamquam pedis impressio in arena relicta magnitudinem Dei, non sine quodam discursu, & ratiocinatione mentis ostendunt: sanctitas vero non vestigium, sed similitudo Dei est, quae substantiae animae impressa

& animæ viribus insculpta, ita Dei sanctitatem, misericordiam, benignitatem & reliquas virtutes repræsentat, ut iam homo non semet veteris Adæ, sed filius Dei, non creatura terrestris, sed res diuina & cælestis appareat. Ideo sancti & perfecti viri in scriptura sacra, & filij Dei, & dij appellati sunt; quoniam Dei proprietates induunt, & quasi dij quidam, per sanctitatis participationem alios homines, qui solum sunt homines, magnitudine perfectionis excellunt. Etenim victor passionum omnium, inquit Ambrosius, nec ullis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cælestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens, & regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem se virtutis vbertate formauerat. Sicut ergo Deus sui ipsius gloria est, & nulla res magis Deum, quam ipse seipsum glorificat; ita præter Deum nihil amplius ipsum in terris glorificat, quam sancti, qui Dei nomen quodammodo obtinere meruerunt & eo se sicut Deo propinquiores, ita diuine gloriæ præcipuos laudatores iudicant, dauid canit: Deus, qui glorificatur in concilio factorum, magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt. Nã ex sanctorum cœtu magnam sibi gloriam assumit, in quibus & suæ potentie magnitudinẽ, & suæ deitatis cultum

*Ambr.*  
*lib. 1 de*  
*Camcap.*  
*2.*

*Psal. 88.*

*Mat. 6.*



acreverentiam tamquam in gloriosa sede maiestatis ostentat. Hanc Dei gloriam, quæ à nostra sanctitate procedit, ab ipso Domino in oratione Dominica postulamus, cum dicimus. Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Deus namque suam gloriam exerit, cum nos de iniquis iustos, & de peccatoribus facit sanctos, & nomen suum magnum & excelsum, quod in seipso augeri non potest in nobis, cum nos magnos facit, magnificat, cum nos sanctos efficit, etiam sanctificat. Sanctificatio nostra, inquit Cassianus, nostra perfectio est, itaque dicentes ei: Sanctificetur nomen tuum: tales nos facito pater, ut sanctificationem tuam, vel intelligere quanta sit, vel capere mereamur: vel certe, ut in nostra conversatione spirituali sanctatus appareas. Possit etiam amplius sanctificari in cordibus electorum: per maiorem fidei consummationem, & maiorem Dei & proximi dilectionem. Quanto enim perfectius Deum diligit, & creatus electus: tanto amplius nomen patris in se sanctificat, & sanctificatum demonstrat. Magnificavit anima mea Dominum ait Maria. Quomodo illa magnificavit dominum? qui cum sit maximus, nec bonitate, nec pulchritudine, nec aliqua perfectione crescere potest, à quo omnia creata magnitudo, velut riuulus à fonte procedit? Hæc Dei magnificatio omnium maxima fuit earum quas valuit pura creatura

*Cassia.*  
*Col. 9.*

*Luc. 1.*

proferre, nam voce simul & mente suorum bonorum copiam nō sibi, sed domino, à quo omne datum optimum, & omne donū perfectum est, sincerissima confessione retulit: certē magnificabat eum mundis cogitationibus, magnificabat sanctis desiderijs, magnificabat perfectis operibus, magnificabat tota serie suæ vitæ mundissimæ, denique hæc est maxima magnificatio Dei, quam ei creatura potest adscribere, quod eum vitæ puritate, & morum honestate, & virtutis perfectione magnum in seipsa delincent, & se magnam, & pulchram sanctitate faciendo, Deum, cuius anima imago est, in seipsa magnum, & pulchrum, & summè bonum ostendat, Magnificatur enim dominus, inquit Ambrosius, non quod Domino aliquid humana voce possit adungi, sed quia magnificatur in nobis. Et sanctis tacentibus, nihil que loquentibus, cōturbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo: quia vita, quæ efficacior & validior vox est, annunciauerunt opera Dei, & hac voce vniuersi perculsi, tacta eius intellexerunt. Profectò vir sanctus atque perfectus imago Dei est, & ab ipso Deo quasi incredibili cura diligentiaque depicta, quæ mirum in modum alias Dei communes imagines, id est, communes iustos magnitudine pretij, & præstantia decoris excedit. Hæc ergo imago sancti-

*Ambr.*  
*lib 2. in*  
*Lu: ad*  
*cap. 1.*

sanctitatis diuinæ, qua anima reformatur, & decoratur, necesse est maiorem honorem & gloriam, quam alij communes iusti suo factori apud omnes importet. In viro perfecto imago aut similitudo Dei est valde prechra atque perfecta, & tanto splendore circumdata, vt adspicientes in maximam admirationem rapiat, & ad eximias laudes artificiter referendas alliciat. Qui virtute præditus est, facit vt omnes qui intuentur eum, dominum suum laudent: & glorificatio hæc ei, quæ occasione præbuit, magnam & ineffabilem Dei misericordiam conciliat. Tantum enim virtutis robur est, vt innumeris linguis conditorem laudare queat.

Salus ista, quam genus humanum in lapsu ac perfectis suscepit, non solum maior est illa quam in statu innocentie possederat, sed etiam est robustior atque gloriosior. Maior est, quia cætus sanctorum in hoc statu præstantiores sanctos habet, & donis gratiæ nobiliores & Deo coniunctiores, qui innocentie status haberet. In illo enim pacis & tranquillitatis statu opera quædam egregia, & præclara non essent, quibus tantus hic noster mirum in modum abundat. In quo nimirum est patientia, & constantia martyrum, Euangelica paupertas, castitas & obedientia religiosorum, aspera, seuera, & dura vita monachorum &c. In illo statu non re-

paret filius Dei, carne nostra velatus, & ita  
 mundus illo duce, illo sole iustitiæ, illo co-  
 piosissimorum donorum largitore careret.  
 In illo statu nulla esset Mater Dei, atque,  
 adeo nec talis gratia & sanctitas (quæ profe-  
 cto eximia est) qualis matri Dei debebatur;  
 vnde & totus orbis minus pulcher & diues  
 esset, hac gemma pretiosa, hac regina inelyta,  
 hac luna plena, & nullum vmquam defectū  
 sustinente priuatus. In illo statu non essent  
 Apostoli, Ecclesiæ patres, sanctorum Princi-  
 pes, & cæli lumina, qui Christi conuictu &  
 conuersatione, eximie dignitatis adquisitio-  
 ne, insignium meritorū adeptione, & laborū  
 perpessione, tantam sanctitatem nacti sunt,  
 quantum nullus ad hunc conuictum non  
 admissus, ad hanc dignitatem non vocatus  
 accepit &c. Quare huius temporis gratia, &  
 sanctitas maior, & cumulatio est, multique  
 sancti nostri omnes sanctos, qui tunc habe-  
 rentur, excedunt: & ideo culpa primi paren-  
 tis felix dicenda est, nō solum, vt inquit Gre-  
 gorius, quia talem meruit habere redem-  
 ptorē, sed etiam quia Redemptor noster ita  
 naturæ humanæ fracturam solidauit, vt  
 eam pulchriorem redderet, ita diuitias  
 perditas recuperauit, vt copiosiores & ma-  
 iores efficeret. Vnde verum est dictum  
 Pauli; *vbi abundauit delictum, superabundauit* Rom. 3.  
*& gratia, superabundauit, inquam,*  
 gratia

gratia supra delictum, quia illud con-  
 piuit, & dono Dei adueniente omnino de-  
 leuit: & superabundauit supra gratiam  
 præcedentem, quia hæc per Christum da-  
 ta, & tantis meritorum fluuijs augmentata  
 gratiam illam tam quietam & pacificam re-  
 undauit. Salus quoque sanctorum post lu-  
 turam lapsum robustior est, quod vel ex  
 euentu ipso dignoscitur &c. At Adam  
 noster nihilo fortior factus vno coniugis ve-  
 bulo, vna mulierculæ lacrymula victus est,  
 deditque viro suo pomum; qui comedit, &  
 aperti sunt oculi amborum. Siccine diuini  
 mandatum à primo humani generis parens  
 custodiendum fuit? itane lex facilis, ad po-  
 stulandam obedientiam data, fuit à rationa-  
 bili creatura seruanda? An ille, qui, vt inquit  
 Paulus, seductus non est, debuit, vt ma-  
 lieris voluntati satisfaceret, Dei volun-  
 tati contraire, seipsum pessundare, om-  
 nes nos perdere, & orbem vniuersum tur-  
 bare? Quæ dedit, ait, viro suo, & comedit.  
 Vt indicet, quod qua facilitate comedit po-  
 mum, deglutiuit peccatum, gustauit ma-  
 rem; & gratiæ ac iustitiæ dona sibi con-  
 cessa vastauit. Ista fuit duorum illorum ho-  
 minum perfectorum fidelitas erga Deum,  
 quos status innocentia tulit. Nam & illi non  
 tantum gratiosi creati sunt, verum in gratia  
 quoque & charitate perfecti. At sancti post  
 lapsum

*Gen. 3.*

*1. Tim. 2.*

lapsam Adæ à Christo liberati, non ita facile, daemone se subdiderunt, & eius cantum Syrenis ausculturunt. Multis eorum parum visum est, se à verito ligno subtrahere, id est, à rebus prohibitis affectum subducere, nisi etiam non prohibita fugerent, quæ possent aut mentem à diuinis auellere, aut velocem in Deum cursum retardare. Ideoque diuitias contempserunt, delicias irriserunt, honores, & dignitates repudiarunt &c. Multi non vnius arboris pomo, sed magnis voluptatibus, illecti, aut superbis opibus, & sæculi splendore inuitati, eos constanter reiecerunt, ne aliquando diuinam amicitiam perderent, nonnunquam verò (quod maius est) ne sine diuinæ gratiæ iactura, saltem interiorem quietem perderent, aut iam adeptam puritatem amitterent &c.

Ac tandem salus nostrorum sanctorum est multo fœlicior atque gloriosior, quia non tantum dono data, sicut illa primorum parentum, sed bello & armis accepta, & proprijs laboribus acquisita. Si enim gloriosius est diuitias & nobilitatem industria propria & armis parare, quam donatione regum accipere; Et si fœlicius est opes à parentibus perditas recuperare & augere, quam ab ipsis partas imprudenter prodigere: illustris erit, gratiam & iustitiam ab homine lapsa labore sanctarum actionum,

quibus gratia cooperatur, & Dei vocati-  
 ni respondet, reparari, beatus innocentium  
 à primis parentibus amissam filios Deo  
 deles sanctitate operum obtinere. Hæc  
 incōprehensibilis laus creatoris & Salvatoris  
 nostri, quod homines inimicos in suam  
 ctissimam amicitiam euehit, iniquitatibus  
 datos non vtrumque mundat, sed purissimos  
 reddit, & planè terrenos immilla perfectione  
 virtutis caelestes constituit. Hoc est demum  
 illustrissimum crucis Christi trophæum, quod  
 peccatores sanguine ex suo latere manante  
 purguit, suis ignominijs nobilitavit, & in  
 nuditate, sanctitatis stola vestiuit. Hanc glo-  
 riam, quam Dominus ex sanctorum vita re-  
 portat, ex tua vita, ô religiose, qui hæc legi-  
 etiam accipiet, si sanctitatis viam ingrediaris,  
 si teipsum vincas, si mundana deseras, si  
 virtutes quæras, si vitia derelinquas, & si Deo  
 intellectu & affectu cohæreas.

## CAP. XXXI.

*Quod perfectio animam in verissimam di-  
 gnitatē extollit, immensis diuitijs mul-  
 tiplicat, & ineffabiles delicias continet.*

**M**agna prorsus est hæc gloria regis no-  
 stri, quod hominem abiectionissimum, &  
 filium iræ, atque gehennæ, perfectione in ab-  
 tussimam